



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Refutatio Accusatoris Anonymi Damnatas ab Innocentio XI. Propositiones adscribentis Ordinum Religiosorum Theologis ac præcipuè Societatis Jesu

Estrix, Aegidius

Moguntiaë, 1679

Propositio LV. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam
Corporis Domini manducationem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42472

PROPOSITIO LIII.

Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro
qui duas ejus partes immò quatuor simul à di-
versis celebrantibus audit.

Hujus doctrinæ reus agitur Escobar. *Tractat.*
I. Exam. II. c. 4. & Baunius incerto loco.

Sed Escobar loco cit. *n. 73.* more suo refert
sententiam affirmantium, posse satisfieri præ-
cepto, duas simul partes missæ audiendo.

Baunius ad summum agnovit probabilitatem
speculativam sententiæ de duabus parte-
bus missæ conjungendis (de quatuor partibus
non loquitur) sed illam ipsam damnat in praxi
tam in *Theol. Mor. Tr. 6. q. 9.* quàm in sum-
ma gallica de peccatis *cap. 18.* ubi praxim il-
lam etiam censuris persequitur, tamquam *re-
dentem ad imminutionem servitii divini & pietatis
erga Deum, tamquam contrariam opinioni præ-
ceptorum, & inusitatam in Ecclesia, sententiam
ipsam vocat novam glossam &c.*

Similes censuræ contra illam sententiam fe-
re placuerunt reliquis Theologis de eorum ge-
nere, quibus invidiam creare studet accusator.

PROPOSITIO LV.

Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacri-
legam Corporis Domini manducationem.

Pro hac sententia citat Tannerum, Suer-
rez, & Sà.

Rifum

Risum teneamus : Tres invenit Jesuitas ,
 quos affirmare auderet docuisse præcepto
 communionis annuæ satisfieri per communio-
 nem sacrilegam. An id reverà illi tres docue-
 rint , non vacat inquirere : possem enim plu-
 res numerare , quam tres : alios vero qui Je-
 suitæ non fuerunt , doctrinæ illius Patronos
 omnis generis , quamplurimos.

Non morabitur me propositionis sensus au-
 ribus indocti vulgi timendus , isque scanda-
 losissimus quasi præcepto communionis sic
 absolutè satisfiat per sacrilegam Corporis Do-
 mini manducationem , ut non gravissimè pec-
 cet manducans ; quæ cogitatio nulli penitus
 Theologo venit in mentem. Sit enim vero
 damnata propositio in eo sensu , quem habet
 in libris Theologorum. Tres invenit Jesuitas
 accusator , qui eam tradiderint.

Emin. Cardinalis de Lugo non est affirma-
 tor levis: hic d. 16. de Euchar. sect. 4. n. 83.
 de illa doctrina sic pronuntiat : *Sententia com-
 munis est , quam tenent Corduba , Soto , Covar-
 ruyas , Suarez , Azor , Lud. Lopez , Pitigia-
 nus , Villalobos , Diana , & ALII OMNES FERÈ
 COMMUNITER.*

Defensa proinde est sententia illa à Lova-
 niensibus Doctoribus communissimè : à Gui-
 lielmo Mercero in 3. p. q. 80. a. 11. n. 7. à
 Joanne Wiggers in 3. p. q. 80. a. 11. n. 54. à
 E Joann-

Joanne Sinnichio die 11. Nov. 1660. à Gerardo van Werm die 17. Augusti 1647. die 5. Octobris 1647. die 10. Octob 1643. die 18. Sept. 1641. die 18. Febr. 1640. die 1. Febr. 1640. item ab Andrea Laurent die 1. Augusti 1651. à Jacobo Pontano 1. Febr. 1649. à Guilielmo Mercero die 19. Julii 1634. à Michaële Paludano die 26. May 1648. à Guilielmo Tasselon die 7. Januarii 1640. plures dabo Lovanienses Doctores damnatae doctrinae patronos, si quis requisierit: sed mulque alios omnis generis. Sed tres Jesuitas habuit Accusator, ad quos contraheret omnium invidiam, si quæ est hæc invidia.

PROPOSITIO LVI.

Frequens Confessio & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædes nationis.

Autores propositionis nominat PP. Relectas Namurci & Leodii in publicis suis computationibus, quas, inquit, habuerunt obstante prohibitione Episcopi Namurcensis.

Fœdè imponit illis Religiosis immò Episcopo Namurcensi. Paulò altius repetenda est historia. Anno 1676. die 2. May quidam Joannes Bauduin S. Theol. Baccalaureus Lovaniensis, atque in Seminario Episcopi